

Q.H. 150,17.

IN

BONAS REGIMINIS VICES

ZITTAVIAE

BONIS AVSPICII

MVTATAS.

ANNO MDCCXLVI.



IVLIVS FRIDERICVS DANIEL RICHTERVS.

ANNABERGENS.

B. A. C.

ZITTAVIAE,

LITTERIS VIDVÆ STREMBLIANÆ.



Diua, Parnassum geminum relinquens,
Pectus inspira, precor, imperitum,
Et faue uati numeris superbis
Magna canenti;

Ne, uelut remex rapidum per aequor
Vela Tyrrheni maris alta pandens,
Mergar euersa rapidis carina
Fluctibus undae.

Concinas mecum, rogo, diua Clio,
Concinas laetam PATRIAE salutem,
Quae noua ridet face SENATVS
Fascibus amplis;

Quo

Quo nihil majus meliusue nobis
Fata donabant, Superique Diui
Nec dabunt unquam PATRIAE: beati
Plaudite ciues.

En! uiges cura PROCERVVM TVORVM
Prouida multum, nitidaque fama,
ZITTA, Splendescis uelut inter ignes
Luna minores.

Roma sic quondam uiguit per orbem,
Fama sic creuit populi Quirini
Prouida cura ualidaque diui
Arte SENATVS.

Sparta sic quondam uiguit per urbes
Vrbis augusto gladio SENATVS,
Sic Athenarum uigueret quondam
Moenia docta.

Heus! MAGISTRATVM uenerare, ZITTA,
Qui tuam firmat stabilem salutem,
Cui Dei cultus pietasque curae est,
Relligiosum.

Cujus, en! cura lapidum Sepulchrum
Iam domus linquit tua Diua, Martis
Post nouem messes rapido per urbem
Igne cremata.

Pulchrior surget! Vigitat SENATVS,
Et latet multa lapis auspicatus
Mole jam facta, series laborum
Feruet anhela.

Sunt tibi exemplum in pietate PATRES,
ZITTA, diuina probitate clari,
Quique Cocytii furiale monstrum
Frangere quaerunt.

Iam potens floret studium Palaestrae,
Cui fauent PATRES, uigilesque multum
Suscitant Musas, Iuuenum pudico
Carmine laeti.

Sunt PATRES VRBIS Themidos ministri,
Iura qui feruant, domitosque poenis
Publice scriptis scelerum coercent
Mole grauatos.

Sic uiget recti studium fidesque,
Sic probi mores redeunt juuentae,
Nulla ciuilis rabies salutem
Diruit urbis.

Illa pars urbis decoris lucrosa,
Laeta mercatura diu secundis
Vtitur rebus, penetrans ad atros
Mercibus Indos,

Quas

Quas facit ciuis, faciunt colonis
Linteas, pulchris hilares figuris,
Arte texturae lepida politas
Ingeniosae.

Praeterit nomen PATRIAE superbum
Hesperos duros, gelidi Britanni
Audiant nomen, tumidaeque gentes
Ausoniarum.

Quique deformes hyemes perhorrent,
Et per aequaliter niuibus rigescunt
Frigidis, et qui glaciali adusti
Frigore pallant,

Seythici, nec non Nabathaea regna,
Atque quos lambit Durius Tagusque,
Audiant omnes, procul hinc remoti,
NOMINA NOSTRA.

Tantus est Vrbis decor atque nomen!
Musa dictabit mihi laeta uerba,
Quum decet dulces Tibi, ZITTA dulcis,
Scribere uerfus.

Nemo perfringet PATRIAE salutis
Anchoram firmam. Vigili SENATV
Quis et audebit PATRIAE penates
Perdere charos?

Laude uirtutis rapiuntur omnes,
Jam, MAGISTRATV moderante, uirtus
Obtinet praefans hilarisque pleno
Copia cornu.

Sicuti portu resoluta puppis
Nauigabit non aubus sinistris,
Cui gubernator uigil et magister
Torquet habenas,

Non arenosus Siculus Pelorus,
Sic habet nomen, minitatur illi,
Non Charybdis, nec scopulus dolosus
Vllus in unda,

Triste non fidus strepitu tremendo,
Scylla non illam nocitura perdet,
Quo minus cursu redeat secundo
Vrbis ad oras;

Sic gubernacio placido SENATVS
Vrbis indemnisi nauis incitatur,
Et procelloso placidi natamus
Aequore cuncti

Numen, oramus, faueat labori
Porro et incoepitis studiis SENATVS,
Vrbis, optamus, PROCERES uigescant
Et sine noxa.

CON-

CONSVLIS FASCES uenerare diuos,
ZITTA, SCHROETERVM uenerare Magnum,
Sceptra qui jam jam moderatur urbis
Legibus aequis.

Laetus interfis populo diuque,
CONSVL, optimus, redeas beatum
Serus in caelum, uideas remotos
Nestoris annos.

HERZOGLI, CONSVL uenerande multum,
Te colunt Musae, faueas, precamur
Porro Musarum placidus Cateruae,
Magne SCHOLARCHA.

Longa Te clarum series nepotum,
Opto, felici uideat labore,
Sera, Te templum posuisse, dicet
Civibus aetas.

TE, Vir Excellens, uenerande IVSTE,
Te Patrem Musae uenerantur, anni
Sint Tibi, oramus, diuturniores
Nestoris annis.

Te Deus seruet, Patriae columnam,
Ornet ex uoto tua uerba semper;
SYNDICE EXCELLENS, Domine et SCHOLARCHA,
Accipe uota.

Prae-



AK/Je 5029

x 3521956

Praetor, ANDERSI reuerende, jura
Qui ministras nunc populo sacrata,
Viue securus, TIBI fata quaevis
Fausta precamur.


Tuque, KISLINGI, grauis et colende
Praetor, oramus, uigeas salute,
Qui jubes ciui, bonus ut decoro
Tramite currat.

Numen ex alto benedicat omnes
Iuris et legum grauium Ministros,
Ordo diuini uigeat SENATVS
Recte, rogamus.

PATRIAE PATRES uenerare ciuis,
Nam per hos crescit numeroſa Fama
Vibis et uirtus: Vigeat SENATVS
CONSVL et alius.



Farbkarte #13



B.I.G.

I N

REGIMINIS VICES
T A V I A E

BONIS AVSPICIIIS

MVTATAS.

ANNO MDCCXLVI.



DERICVS DANIEL RICHTERVS.

ANNABERGENS.

B. A. C.

ZITTAVIAE,

VIDVÆ STREMELIANÆ.